PALAESTRA




1936 N. 8

INDEX RERUM:

Theodorus Beza, **I n E r a s m u m.**

Ingens ingentem, quem personat orbis Erasmum,
Haec tibi dimidium picta tabella refert.
At cur integrum? Mirari desine, lector:
Integra nam totum terra nec ipsa capit.

Wielki Erazm, którego świat wielbi zdumiony,
W połowie na obrazie jest tu przedstawiony.
Gdy pytasz, czytelniku: „A czemuż nie cały?"
Bo dla niego cały świat ten jest za mały.



DE DESIDERIO ERASMO

Hoc anno anniversarium quadringentesimum mortis Erasmi Rotterodami, doctissimi atque eruditissimi viri, celebramus. Ob hanc sollemnitatem vitam atque gesta eius descripturus sum.

Anno 1467 Rotterodami natus est. Parentes eruditioni et educationi filii multum curae dabant et puerum quinque annorum in scholam duxerunt. Cum decimum tertium annum vitae ageret, parentes eius tempore pestis mortui sunt. Exinde iuvenis a patronis educabatur. Quamquam nullus impetus ad vitam religiosam ei erat, persuasione tamen amici impulsus in collegium monachorum ingressus est: ibi iam summa cum diligentia libris antiquorum scriptorum studebat et curam ponebat, ut eleganter Latine scriberet. Priusquam novicii professionem faceret, episcopum Cameracensem, Henricum Bergensem, cui Romam itineris comes erat sibi conciliat et ab hoc episcopo adiutus Parisios proficiscitur, ut in hac urbe studiis theologiae operam det. Sed pro-

pter infirmam valetudinem hinc evehitur et in Hollandiam peregrinatur: breve post tempus rursus Parisios venit et hic omnibus privatus auxiliis, quae ad vitam suppeditant, alios docendo parat. Adiumentum ei quidam discipulus praebet, quocum multum peregrinatur: postremo in Britanniam venit, ubi consuetudine cum clarissimis et doctissimis viris, ut Thoma Moro et Ioanne Coleto, iungitur et Henrico VII regi commendatur. Oxonii studium linguae Gallicae continuat et absolvit. Anno 1499 Franciam revertitur. Nunc in vice Parisiis, in urbe Aurelianensi, Rotterodami habitat et Introductionem in Novum Testamentum Laurentii Vallae sua praefatione instructam edidit. Per aliquod tempus linguam Graecam Alexandrum, filium Iacobi regis, docet. Anno 1506 nonnullas urbes Italiae peragrat: Venetiis cum Aldo Manutio congreditur, qui *Adagia* eius edidit. Cum anno 1506 Romam veniret, nomen eius iam celeberrimum erat: Papa religionibus Erasmum exsolvit. Henricus VIII eum ad se vocat. In itinere Angliam *Encomium Moriae,* opus notissimum, quod in omnes fere linguas translatum est, conscribit. Anno 1516 Carolus V Erasmum ad se arcessit et munus consiliarii ei committit. Nunc Erasmus totum se litteris dedit. Suum stipendium inter pauperes et ingenio praestantes scholares distribuit. Imperatori opus *Institutio principis christiani* conscribit. Rebus tamen publicis operam non dat.

Anno 1521 certum domicilium ac sedem Basileae sibi constituit, ubi familiaritate atque consuetudine cum Frobenio typographo coniungitur. Cum tamen contentiones et controversiae theologicae exorirentur et cives Basileenses ad novam fidem accederent, Erasmus Brisgoviae consedit et hic septem annos moratur. Reliquam vitam Basileae degit. Hic in gravem morbum incidit, et quamquam aegrotus magnos dolores patitur, diligentiam tamen editioni operum Origenis adhibet. Anno 1536 (a. d. V Idus Iulias) tamquam verus sapiens cum aequo animo et sereno vultu mortuus est. Suam rem familiarem senibus et orphanis et scholaribus, ingenio praeditis, testamento reliquit.

Exequias funeris eius omnes cives Basileae prosequebantur. In ecclesia cathedrali sepultus est.

Multos Erasmus libros scripsit, ut scientia de antiquitate propagaretur et divulgaretur. Inter hos numeranda sunt: *Adagia*, *Colloquia familiaria, De duplici rerum ac verborum copia, De epistulis conscribendis. De ratione studii ac legendi interpretandique auctores, Ciceronianus sive de optimo genere dicendi, De recta latini graecique sermonis pronuntiatione.* Multum etiam de theologia meritus est. Editio eius Novi Testamenti mentione digna est, praeterea nonnullos Patres Ecclesiae Graecos et Latinos, ut Origenem, Hieronimum, et Augustinum edidit. Auctoritas Erasmi inter viros doctos atque

litteratos illorum temporum plurimum valebat. Omnes reges, Pontifices Maximi, principes Erasmum ad se invitabant, et voluerunt eum apud se esse.

De Erasmo Rotterodamo.

(Notitia conscripta a. 1536 in Epistularum Erasmi volumine).

Autor huius operis Erasmus dissenteriae morbo corruptus anno 1536 undecima Iulii vitam finivit agens annum 72. Quidquid reliquit facultatum illud omne partim pauperum studiosorum commodis et usibus promovendis legavit, partim egenis innuptisque puellis honeste dotandis testamento consecravit. Sunt qui illum citra septem milia aureorum reliquisse ferunt. Ex viventis ore auditum est, prudentis et circumspecti viri esse parare et servare sibi nummum litteris, quo scilicet quamcumque fortunae iniuriam molestiamque ferre posset felicius. Hunc nimirum ipsum sibi tot magnorum heroum liberalitate adiutus compararat, quem post se relictum in sanctissimos usus erogandum statuit. Thesaurum omnem librorum suorum praesuli cuipiam amplissimo, cui id ante annos aliquot promiserat, dedit. Reliquit aureorum et argenteorum poculorum fere regium apparatum. Ad hoc numismatum, quorum aliquae decem aliquae 20 ducatos valent, non minimum acervum. Totus erat iam vir doctissimus in restituendo Graeco Origene, cui sic erat iamiam

morbi vi quam maxime urgente addictus, ut ab illo non citius discesserit, quam mors ipsa e manibus scribentis calamum extorserit. Ultima verba quibus iterum repetitis ac magnis suspiriis (ut animum vere Christianum cognosceres) editis, terram reliquit, haec fuerunt: „O Iesu, fili Dei, miserere mei. Misericordias Domini et iudicium cantabo“. Haec dicentem mors continuo oppressit. Funus una cum honorifica et magnifica sepultura curatum est in summi templi edito loco, iuxta ritus Christianae Ecclesiae. Prodierunt in funus singuli senatoriae dignitatis ordines, ac totius Reipublicae Basiliensis maximi quique proceres. Quidquid denique Basileia litterarum ac virtutis scientissimorum ac studiossimorum habuit, illud omne maximo dolore confectum defuncto corpori hoc officio gratificati sunt.

CONSTANTINUS PFLUGER scripsit
Magistro Matheo Costen.

SIGISMUNDUS DEI GRATIA REX POLONIAE magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, ac Masoviae etc. Dominus et haeres.

Redditae nobis fuerunt litterae tuae, Erasme doctissime, calend. Iuniis scriptae, ex quibus facile perspeximus te vere eum esse, qui diceris, hoc est praeter summam eruditionem, ac prudentiam, tum integerrimum, tum publicae tranquillitatis concordiaeque Christianae studiosissimum, quod etsi nobis du-

bium nunquam fuit, vehementer tamen apud nos confirmavit eam de te opinionem, epistula haec tua, in qua plane agnoscimus animum istum tuum vere Christianum, nec dubitamus, quin ubique sis tui similis, seu ludicra tractes seu seria. In primis vero tibi gratias agimus non vulgares, quod nos tali ornaveris elogio, quale veremur ut in nos tam plene quam tu videri vis competat. Nam etsi nobis maxime cordi est, ut et rempublicam Christianam adeo inclinatam, pro virili nostra iuvemus, et regna nostra tranquilla atque ab illa dissidiorum lue, qua nunc sursum ac deorsum fertur Germania, incontaminata servemus: tamen quod hactenus id nobis feliciter cesserit, deo potius acceptum ferimus, quam ut inde nobis laudem aliquam aut arrogemus aut petamus. Immo etiam hoc ardentioribus votis domini misericordiam imploramus, ut quemadmodum nos regnaque nostra hactenus integra illaesaque servavit, ita adhuc servet in posterum, quousque illius visum fuerit voluntati: alioqui nobis frustra facturi videmur omnia, nisi ille coepta nostra fortunet. Non potest autem hoc tuum erga nos officium nobis non esse gratissimum, qui quum semper alioqui magnifice de te senserimus, tum vero hac humanitate tua provocati, tanto etiam libentius tibi si quo modo possimus gratificabimur, quanto tu nos litteris tuis fecisti apud omnes homines commendatiores: quod equidem praestare possemus multo cumulatius, si

forte adduci possis, ut te huc ad nos conferas: sed cum ex tui studiosis intelleximus, frustra idem tentasse alios principes, qui magnis hactenus, tum precibus tum praemiis te sibi adiungere cupiebant, veremur ne et nobis frustra sumeretur haec opera. Ut tamen interim habeas aliquod nostrae erga te benevolentiae gratique animi argumentum, mittimus honorarium munus, quod in praesens grato animo suscipias: deinceps uberiorem ex nobis fructum benevolentiae et favoris nostri habiturus.

Vale. Datum in oppido nostro Piiotrcov die XIX. mensis Feb. Anno domini M. D. XXVIII. Regni nostri XXII.

ERASMUS ROT. SIGISMUNDO POLONIAE R. S.

In tot sudoribus quos praeter valetudinis atque aetatis sortem sustinemus, in tot molestiis ac taediis quibus hinc atque hinc tundimur, non mediocre solatium nobis attulit tuae maiestatis epistula, Sigismunde rex cum primis inclyte, tota spirans, et admirabilem quandam humanitatem, et haud mediocrem erga nos favorem. Etenim, ut auctore Salomone, indignatio regis nuntii mortis, ita secundum eiusdem sententiam, in hilaritate vultus regis, vita. Eum vultum hilarem ac benevolum, tuae mihi litterae exhibuerunt. Quamquam autem in me nequaquam agnosco dotes quae tuo erga me favori respondeant, tamen, ut ingenue fatear, iuvat interim laudari a re-

ge laudatissimo, meaeque qualis est, industriae stimulos addi. Equidem mihi videbar abunde magnum officii mei fructum recepturus, si tua maiestas boni consuluisset audaciam nostram: nunc eam video felicissime cessisse, quippe per quam factum est, ut istam vere regiam tum humanitatem tum pietatem, quas multorum praedicatione cognoveram experimento compererim: humanitatem quidem qui tam amanter sentias de Erasmo, tamque gravi testimonio nostram mediocritatem ornare dignatus sis, idque testimonium non modo litteris amantissime scriptis, verum etiam amplissimo munere proditum et confirmatum esse volueris: Pietatem vero quod omnem regni tui felicitatem, nec viribus, nec consiliis tuis arroges, sed divinae tribuas bonitati. Quis vocem tam piam, tam Christianam non exosculetur, a tantis regis pectore profectam? Vere scripsit Salomon, C o r r e g i s i n m a n u d e i e s t, e t q u o c u n q u e v o l u e r i t i n c l i n a b i t i l l u d: sed ea demum vera laus bonorum regum est, si ipsi vicissim inclinent cor suum deo, regum omnium regi, semper ab illius nutu pendentes, sine cuius auspiciis nihil efficit hominum conatus, et omnes actiones suas ita componentes ut qui sciant meminerintque sese quicquid gerunt, coram illius oculis gerere, qui iudex est non minus quam plebeiorum. Verum ista Christiana tua modestia rex inclyte, non perdis laudes tuas, sed eas potius tibi facio proprias, perdi-

turus, nisi agnosceres, cui debeatur omnis gloria. Nihil vere prosperum, nihil felix dici potest, quod non fortunarit ille totius felicitatis autor. Optimis avibus, secundissimis auspiciis geritur, quicquid ad illius geritur praescriptum, qui dixit: Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt: per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam. Dixit autem hoc aeterna sapientia qui est filius dei. Quid autem praescribit sapientia regibus? Misericordia, inquit, et veritas custodiunt regem. et roboratur clementia thronus eius. Misericordiam praestat in sublevandis oppressis, veritatem in integre iudicando, clementiam in temperanda legum severitate. Ea prima regum est functio, quam etiam iureiurando solent profiteri cum principatui inaugurantur, opitulari viduis, succurrere pupillis, et ab omnibus per iniuriam oppressis, vim depellere. Veritas autem duas habet comites, sapientiam et constantiam. Sapientia illuminat oculos, quibus perspicitur quid rectum sit quid secus, quid utile reipublicae quid contra. Constantia praestat, ut animus omnibus superior cupiditatibus, nec ira, nec amore, nec odio dimoveatur ab honesto. Clementia necessariam severitatem lenitate temperat. Lex enim aequa praescribit omnibus, at non omnibus omnia congruunt: haec publici iuris moderatio, quam aequitatem vocant, a pectore regio velut ab oraculo pe-

titur. Siquidem recte dictum est a sapientibus viris, regem esse vivam legem, Lex pauciloqua est, at infinitae sunt rerum et personarum circumstantiae. In his igitur rex pro lege loquitur, nec aliud tamen pronuntians, quam lex ipsa diceret si nobis ad omnia respondere posset. Clementia est non statim bellum suscipere, cum data est belli causa, sed nullam rationem intentam relinquere, si res absque bello componi queat. Et interdum consultius est dissimulare iniuriam, quam armis persequi. Clementia est, si bellum nulla ratione vitari possit, ita gerere, ut et quam minimo sanguinis humani dispendio fiat, et quam celerrime finiatur. Hanc sapientiam quae secum omnia bona defert, orabat Salomon, ut suo throno semper assisteret, fidissima certissimaque consiliaria. Tale quiddam et a veteribus quasi per nebulam, visum est. Legimus enim Aegyptios litteris hieroglyphicis ita solere regis imaginem exprimere, ut sceptro adderent oculum, sceptro rectum, integrum, et inflexum animum indicantes, oculo prudentiam, quae commonstrat, quid honestum, quid contra. Easdem virtutes aliis symbolis commendabant, summo sceptri fastigio imponentes aquilam, immo hippopotamum: aquila perspicientiam ac humilium rerum contemptum significantes, hippopotamo ratione compressam iram ac feritatem. Est enim hoc animal indomitum ac ferum, Nec enim potest rectitudo consistere, nisi adsit animus vere sublimis ac perspicax,

superior omnibus humanis affectibus, qui rationi solent obstrepere. Hae dotes quum in te reluceant Sigismunde rex invicte, ita demum vere tuae sunt, si eas ut facis, deo transcribas, unde fluit, quicquid in nobis est boni. In corporalibus bonis nostrum esse desiit, quod alteri transcripsimus: in animi bonis contra sic vere nostrum incipit esse, quod deo tribuimus.

Sed longius feror, quam epistolae modus patitur. Superest orare Christum Opt. Max., ut haec sua dona tueatur in te, semperque novis successionibus augeat, cunctisque principibus eandem mentem inspiret, ut illis inter se concordibus, et caelestis sapientiae consilio, quae reipublicae salutifera, quaeque Christo placita sunt decernentibus, tandem haec rerum humanarum tempestas aliquando vertatur in tranquillitatem. Favorem quem praeter meum meritum tam benigniter offert tua clementia, lubens amplector, habeoque gratiam quantam possum maximam. Quid autem vicissim pollicear non invenio, nisi animum memorem et gratum: etsi quid ab infimo mancipio regi potentissimo praestari potest obsequi.

Dominus Iesus bene fortunet omnia tua consilia.

Basileae V. calend. Septemb. Anno M. D. XXVIII.

STULTITIAE LAUS

Stultitia loquitur (de iis, quorum mentes superstitio occupavit).

„Illud hominum genus haud dubie totum est nostrae farinae, qui miraculis ac prodigiosis gaudent mendaciis vel audiendis vel narrandis. Nec ulla satietas talium fabularum, cum portentosa quaedam, de spectris, de lemuribus, de larvis, de inferis, de id genus milibus miraculorum commemorantur: quae quo longius absunt a vero, hoc et creduntur lubentius et iucundiore pruritu titillant aures. Atque haec quidem non modo ad levandum horarum taedium mire conducunt, verum etiam ad quaestum pertinent, praecipue sacrificis et concionatoribus. His rursum adfines sunt ii, qui sibi stultam quidem, sed tamen iucundam persuasionem induerunt, futurum ut si ligneum aut pictum aliquem Polyphemum Christophorum adspexerint, eo die non sint perituri, aut qui sculptam Barbaram praescriptis verbis salutarit, sit incolumis e proelio rediturus, aut si quis Erasmum certis diebus certis cereolis, certisque preculis convenerit, brevi sit dives evasurus. Iam vero Georgium etiam Herculem invenerunt, quemadmodum et Hippolytum alterum. Huius equum phaleris ac bullis religiosissime adornatum tantum non adorant ac subinde novo quopiam munusculo demerentur, per huius aeream galeam deierare plane regium habetur. Nam quid dicam de iis, qui sibi fictis scelerum condonationibus suavissime blandiuntur, ac

Purgatorii spatia veluti clepsydris metiuntur, saecula, annos, menses, dies, horas, tamquam e tabula mathematica, citra ullum errorem dimetientes? Aut de iis, qui magicis quibusdam notulis ac preculis, quas pius aliquis impostor, vel animi causa, vel ad quaestum excogitavit, freti nihil sibi non pollicentur, opes, honores, voluptates, saturitates, valetudinem perpetuo prosperam, vitam longaevam, senectam viris. Nam omnia percensere longissimum fuerit. Sunt qui singuli pluribus in rebus valeant, praecipue Dei-



ridem, denique proximum Christo apud Superos consessum, quem tamen nolint, nisi admodum sero contingere, hoc est, cum huius vitae voluptates, invitos eos ac mordicus retinentes, tamen deseruerint, tum succedant illae caelitum deliciae. Hic mihi puta negotiator aliquis aut miles aut iudex, abiecto ex tot rapinis unico nommulo, universam vitae Lernam semel expurgatam putat totque periuria, tot libidines, tot rapinis unico nummulo, universam vitae Lernam tot perfidias, tot proditiones existimat velut ex pacto redimi, et ita redimi, ut iam liceat ad novum scelerum orbem de integro reverti. Quid autem stultius iis, immo quid felicius, qui septem illis sacrorum Psalmorum versiculis cotidie recitatis, plus quam summam felicitatem sibi promittunt? Atque hoc magicos versiculos daemon quispiam, facetus quidem ille, sed futilis magis quam callidus, Divo Bernardo creditur indicasse, sed circumventus miser. Et haec tam stulta, ut me ipsam propemodum pudeat, tamen approbantur, idque non a vulgo modo, verum etiam a religionis professoribus. Quid iam? Nonne eodem fere pertinet, cum singulae regiones suum aliquem peculiarem vindicant Divum, cumque in singulos singula quaedam partiuntur, singulis suos quosdam culturae ritus attribuunt, ut hic in dentium cruciatu succurrat, ille parturientibus dexter adsit, alius rem furto sublatam restituat, hic in naufragio prosper adfulgeat, ille gregem tueatur: atque item de caetepara Virgo, cui vulgus hominum plus prope tribuit quam Filio.

DESIDERIO ERASMO ROTTERODAMO.

Quo tua non penetrat doctissime gloria Erasme
  Et Desiderium quae tacitura dies,
Cum tua iam rigidi numerosa volumina tractent
  Sauromatae, tractent indomitique Scythae.
Cultus erat Naso, praesens non praestitit ille,
  Ut non riderent verba Latina Getae.
Nunc absens legitur, manibus gestatur Erasmus
  Ad Tanaim et gelidas quae meat ursa plagas.
Iam divina tuae tot sunt monumenta lucernae,
  Una quod esse capax bibliotheca nequit.
Nemo satis laudare potest, quam digna videntur
  Cum tua, tum calamo prisca refecta tuo.
Ut taceam Graecos alios aliosque Latinos,
  Restituunt luci quos tua scripta suae,
Pagina sacra suo cultu vestita decoro,
  Quod placeat cunctis, debet, Erasme, tibi.
Illa prius fuerat tetricis foedata sophistis,
  Nunc velut ex auro lucida gemma micat.
Hunc agrum purgare tamen dum niteris unus,
  Ingeris et culto semina munda solo,
Ecce inimicus homo zizania sparsit ubique,
  Infecit segetes herba maligna tuas.
Excide infelix lolium loliique satorem
  Confice: si facies, Hercule maior eris.
Ille homines tantum laedentia monstra peremit —
  Per te etiam superis quae nocet hydra, cadet.

Petrus Fidelis, Oratio de internationali linguae latinae usu restituendo.

(Discorso pronunciato da S. E. Pietro Fedele, capo della delegazione italiana al banchetto del 24 Agosto 1933, XI).

Si in nostris conventibus, clarissimi viri, saepe facere non potui, quin sermone latino uterer, sermone latino, qui et omnibus nobis Italis sermo patrius est, et est etiam sermo universalis, eo magis in hac nobili Polonia Romano utar sermone, causa non modo quam supra dixi, sed etiam quod, temporibus ante actis, is sermo cultus atque humanitatis instrumentum fuit huic nationi clarissimae, quae mirum in modum et festinanter, Latinorum veterum potuit cultu et doctrina potiri. Omnes ceterum sciunt hunc cultum et hanc doctrinam tantam esse partem Poloniae cultus humani et civilis. Hic, quasi naturali loco, Societas instituta est linguae latinae usui internationali adaptandae, cui clarissimus doctor Thaddaeus Zieliński praest, et cui?

En hic omnes adsumus ex omnibus totius orbis terrarum partibus; omnes, revera, cupiditate flagrantes Poloniam colendi eiusque virtutes excelsas, quae effecerunt ut haec natio semper in Europa ab omnibus omnium maximarum virtutum signum et exemplum putaretur et custos libertatis et iustitiae, quae vivendi modum; a vi initium suum repetentem, dedignantur.

Rationes quae Poloniae facultatem dederunt se pristinam dignitatem et antiquum statum restituendi variae et multae sunt: historiae sensus et traditio, quibus nunquam Polonia caruit; iniuriarum ipsi per saecula illatarum conscientia et simul iuris fiducia quam semper pietas erga Deum et Patriam aluit, et litterarum tandem monumenta, quorum auctores, iam domi insignes, notos saepe ac clarissimos, trans patriae fines, fama reddidit. Omnibus ceterum notum est Poloniae litteras nihil aliud egisse quam ut inter cives semper flagrare posset restitutionis spes omnis pristinae fortunae, immo vero fides certa. Apertissime nobis Polonia probavit non rei familiaris tuendae studium, id est quod Italice dicimus *i fattori economici,* sed rationem recti et honesti rerum humanarum evolutionem parare.

Sed nobis Italis animi vincula et ingenii liceat in omnium memoriam reducere, vincula quae mirabiliter inter se vinciunt Italiam et Poloniam, quarum vero historia nihil est nisi calamitatum aspera consecutio et conatuum ad libertatem et unitatem adipiscendam longa series. Italiae litteras, cultum, humanitatem atque artem recordantur ars, humanitas, cultus et litterae Poloniae; et Bononiensem studiorum universitatem repetit, usque a suis originibus, et non modice, Universitas Cracoviae. Reges et Reginae Poloniae saepe curarunt ut sibi homines, litte-


ris et studiis dediti, et artifices, ex Italia arcessiti, magno essent decori et ornamento: et hic, aetate praesertim renatarum litterarum, ut vere in Italia, cultus litterarum latinarum cultus patrius factus est.

Et sane, si verum loqui volumus, semper animum Itali verterunt, non vano studio et inutili consensu, sed opere ferventi et efficaci, ad nobiles Poloniae omnes conatus. In Italia denique compositum est Poloniae patrium carmen:

Polonia vivit adhuc
Quia nos vivimus,

quod carmen firmissimum Poloniae renascendi propositum mire interpretatur et celebrat.

Poloniam igitur virtute civium suorum et animo renatam nos Itali, admiratione et mente incitati, salutamus; nos qui illam sententiam prae animo habemus: cultum et humanitatem, id est, eam quam dicimus ‘civitatem’, hoc fato esse ut pereat, nisi omnium populorum rationes moderentur Ius et Iustitia. Quisquis enim appetit nostrae doctrinae argumentum et confirmationem, Poloniam eiusque historiam consideret. Polonia, ut dixit Krasiński, magnus ille scriptor vester et subtilis, docet quemlibet populum, ex consilio a Divina Providentia instituto, posse et debere, utpote qui sit Dei voluntatis instrumentum, missionem suam ad finem perducere pro totius orbis terrarum utilitate et beneficio.



Mercurius et Statuarius.

Visurus olim, quanti apud homines foret
Mercurius, ora versus in mortalia,
Sese in tabernam contulit statuari:
Inspectâ ubi tonantis effigie Iovis,
Quanti, rogavit: utque drachma, comperit,
Clam vilitatem patris irrisit sui.
Inspecta item Iunonis, aliquanto amplius
Pretium eius esse, quam prioris audiit.
Postremo contemplatus et statuam suam,
Existimansque se esse longe maximi,

Quod lucra praestet, quod sit interpres Deûm,
Pretium indicari petiit et sui sibi.
Statuarius tum dixit: Hasce si emeris,
Et hanc tibi, hospes, additamentum dabo.

Plerumque nihili est, qui ipse se magni aestimat.

NARRATIUNCULAE

De Constantini imperatoris conversione.

(Jacobus a Voragine, Legenda aurea).

Constantinus imperator iuxta pontem Albinum cum Maxentio conflicturus advenit. Cum igitur anxius multum esset et pro sibi mittendo auxilio ad caelum oculos crebro levaret, vidit per soporem ad orientis partem in caelo signum fulgore igneo rutilare angelosque adstare et sibi dicere: „Constantine in hoc signo vinces“. Et, dum Constantinus, quid hoc esset, miraretur, Christus nocte superveniente eidem apparuit cum signo, quod vidit in caelo, iussitque, ut fieret eius signi figuratio, quod foret auxilium in congressibus proeliorum. Tunc Constantinus laetus redditus et de victoria iam securus signum crucis, quod in caelo viderat, in sua fronte designat, vexilla militaria in signaculum crucis transformat et in manu dextra auream crucem portat. Post hoc dominum exoravit, ne dexteram suam, quam signo crucis munierat, salutari cruore Romani sanguinis cruentari vel maculari permitteret, sed sine sanguinis effusione

victoriam sibi de tyranno praestaret. Maxentius autem iussit navibus ad decipulam compositis fluvium sterni et suppositis pontibus exaequari. Cum iam autem Constantinus ad fluvium appropinquaret, Maxentius occursum cum paucis velocius ei pergit iubens, ut ceteri subsequantur, suique oblitus operis pontem cum paucis conscendit et decipula, qua Constantinum decipere volebat, est deceptus et in fluvii profundum demersus. Constantinus vero ab omnibus unanimiter est susceptus et, sicut legitur in quadam chronica satis authentica, Constantinus tunc perfecte non credidit nec tunc sacrum baptisma suscepit, sed aliquanto temporis interiecto visionem illam Petri et Pauli vidit et sacro baptismate per Silvestrum papam renatus et a lepra mundatus in Christum deinceps perfecte credidit et sic matrem suam Helenam Hierosolymam misit, ut crucem domini requireret.

De nocturna capillorum tonsione.
(Plinius Sec., Epist. VII 27).

Est libertus mihi non illitteratus. Cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quendam in toro residentem admoventemque capiti suo cultros atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ubi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli iacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium, et rursus simile aliud priori fidem fecit.

Puer in paedagogio mixtus pluribus dormiebat: venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis

duo cubantemque detonderunt et, qua venerant, recesserunt. Hunc quoque tonsum sparsosque circa capillos dies ostendit.

De rebellium servorum ultione.
(Plinius Sec., Epist. III 14).

Rem atrocem nec tantum epistula dignam Larcius Macedo, vir praetorius, a servis suis passus est, superbus alioqui dominus et saevus, Lavabatur in villa Formiana: repente eum servi circumsistunt; alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus et ventrem contundit; et cum exanimem putarent, abiciunt in fervens pavimentum, ut experirentur, an viveret. Ille, sive quia non sentiebat, sive quia non sentire simulabat, immobilis et extentus fidem peractae mortis implevit. Tum demum quasi aestu solutus effertur; excipiunt servi fideliores, mulieres cum ululatu et clamore concurrunt. Ita et vocibus excitatus et recreatus loci frigore sublatis oculis agitatoque corpore vivere se confitetur. Diffugiunt servi; quorum magna pars comprehensa est, ceteri requiruntur. Ipse paucis diebus aegre focilatus non sine ultionis solacio decessit ita vivus vindicatus, ut occisi solent.

Vides, quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis simus obnoxii; nec est, quod quisquam possit esse securus, quia sit remissus et mitis; non enim iudicio domini, sed scelere perimuntur.

II. VER SACRUM

De homine robusto.

Rusticus, quem in regione omnes vicini robustissimum putabant, saepe a variis rixatoribus nonnunquam ex diversis finibus ad se certaminis causa venientibus, provocabatur, ut cum ipsis luctando vel pugnis decertaret. Ad eum aliquando adulescens animo et magno corpore valens advenit, ut cum eo confligeret. Ibi cum audivisset hominem sibi quaerendum nunc in horto laborare, equo suo in hortum inducto ad eum contendit atque tum haec verba locutus est: „Rure meo, quod abest a domo tua quattuordecim milia passuum, ad te profectus sum, quem robustissimum fama cognovi, petens, ut mihi facultatem tecum pugnis certandi facias“. Huic postulato concessit rusticus et statim certamen inter eos cooritur. Sed quia provocatus homo et manu et vi potens exstitit, factum est, ut extemplo audacem adulescentem superaverit. Adversario victo, eundem ex horto facillime supra saepem altam in viam iuxta sitam eiecit, et tum ipse rursus labori, operam dabat. Vidit tamen rusticus adversarium nondum iter domum fecisse, sed stare ad saepem et spectare, quasi adhuc aliquid vellet. Qua re miratus ex eo quaesivit, quem exspectaret aut quod consilium in animo haberet. At ille: „Ne hoc — inquit — mirum tibi

videatur, quod postulo: velim ergo, ut mihi nunc equum meum in horto tuo relictum eodem modo supra saepem mittas. Nam admiranda vi tua cognita, non dubito, quin futurum sit, ut id quoque facillime conficias“.

De amico auxilium ferente.

Festo die Thaddaeus domum Marci venit. Ibi per breve tempus manens postquam animadvertit amicum, praeter consuetudinem, maerore quodam affici, eum interrogavit, quas propter causas et qua de re doleret; nunquam enim adeo maestum se praebuerat. At ille: „Amice — inquit — olim aere alieno contracto, nunc a creditoribus meis, quibus pecunias debitas reddere non possum, cotidie ac continuo vexor. Omnes autem propinqui consanguineique mei, etsi eos rogabam, ut mihi pecuniam mutuam darent, nulli mihi auxilio venerunt. His rebus adductus aliquot iam noctes fere non dormii. Thaddaeus cum id audivisset, statim e lectulo surrexit, et amico infirmam erga se amicitiam atque valetudinis eius neglegentiam obiciens denique: „Cur — inquit — ad me consultum non venisti? Nonne scis me semper te adiuvare esse paratum?“. Tum Marcus miratus: „Quid audio?... Dic, amice; an tu, qui nullas res familiares possides, mihi ducentos nummos mutuaturus sis?“. „Scis equidem — respondit ille — me inopem vitam agere, ergo tibi ita pe-

cuniam mutuari, creditoribus reddendam, non possum. A medico tamen perito medicamen, quod optimum est insomniorum remedium, proximis diebus accepi, idque tibi praebere malim, ne diutius tam acerbo malo laborare cogaris".

De custode et potore quodam.

Custos urbis atque bibulus quidam, etsi nunquam amicitia inter se iuncti erant, saepe tamen, nocte in via alter alteri obvii fiebant. Bibulus ille, quem nemo ab exitiosa ebriositate sanare potuit, in proxima caupona voluptate potandi atque epulandi frui solebat. Cum autem domum reverteret, sciebat custodem, ut solito, visurum esse. Et cum aliquando eum praeteriret, tum custos: „Homo es impudens — inquit — nam aliquot iam annos te continuo ebrium domum revertentem conspicio. Nonne taedet te ebriositatis tuae, qua iam dudum afficeris et de qua nondum discessisti? Tum ille: „Si tu miraris me in mala, ut videtur, consuetudine tam diu permanere, mihi quoque mirandum est te etiam eundem magistratum per tot annos gerere neque eum adhuc deposuisse. Permaneat quisque in negotio suo".

GEORGIUS HETMAN cl. VIII
gymnasii I Piotrcoviensis

De Massiliensium moribus.

Cum proxima aestate canum rabiem in insula

Camaria ortam fama tulisset, civitatis Massiliae consul non solitis modo consiliis ac decretis praeteritum iam periculum cavit, sed etiam simul per lorum et cum fiscella omnes canes ducendos esse praecepit. Quem cum quidam percontaretur, cur simul una lorum atque fiscellam ad singulos canes applicari iussisset: „At hercule, inquit; quando rabiosi sunt, lorum non satis mihi videtur sufficere!“ Quam ob rem irrident omnes Galli Massilienses nostros, quos adeo atroci ingenio praeditos esse dicunt, ut rabiosos canes loro ducentes per urbem deambulare soleant. RADULPHUS BUSQUET

Quidam peregrinus in diversorio apponi sibi iussit optima quaeque edulia et vinum lautamque cenam ut clauderet ostreas postulavit. Cena finita caupo accessit, ut numeratam pecuniam acciperet: at peregrinus vultu ad tristitiam composito: „Carissime, inquit, spes me fefellit: ignoscas velim: spes enim me fefellit — putavi enim in ostreis me reperturum esse margaritam pretiosam, qua cenae pretium tibi pependissem“.

Ianus Pannonius, De Frando naufrago.

Naufragus Eridani dum Frandus mergitur undis,
„Siccine me miserum fata necatis?“ ait:
„Si fueram liquida periturus morte, perissem
Per latices potius, dulcis Iacche, tuos!“

III. SATURA LANX

ADAM MICKIEVICIUS, ALPUHARRA.

Filomata num. 78 metricam carminis celeberrimi attulit versionem, quam insigni Gregorii Saengeri Petropolitani debemus industriae atque ingenio — praeclari hexametri verum ac genuinum antiquum spirant animum ac colorem. Aliam hic profero versionem, scil. rhythmicam, qua Mickievicii exemplar fidelius redditur, ita ut contextus latinus notissimae carminis melodiae sine ullo negotio aptari possit. R. G.

Dirutum iacet regnum Maurorum,
natio vinclis ligata:
arces Granatae sunt defensorum,
at pestem subit Granata.

Pugnat Almansor ex Alpuharra
parcis cum militum turmis:
sed iam Hispanus admovet castra,
cras vi iam impetet turres.

A solis ortu machinae tonant,
fossae sternuntur et muri:
iam minareta cruce coronant
Hesperi triumphaturi.

Unus Almansor suam cohortem
conspiciens trucidatam
fortiter pugnans effugit mortem,
clanculo petit Granatam.

Inter ruinas arcis et stratos
victor Hispanus bacchatur:
apparat cenam atque potatus
trahit captivos, praedatur.

Subito custos ad duces agit
regni primorem ignoti:
nuntios graves ille praesagit,
citius compos fit voti.

Hic est Almansor, rex Mahmetorum:
latebram linquit is tutam,
fidei credit se Hispanorum,
vitam condonent ut putam.

„Ecce, Hispani, ad limen eo
„vestrum, ut vinctum me dedam.
„Ecce, iam vestro serviam deo,
„vestris prophetis iam credam!

„Reboet Fama orbi regnorum
„Arabem, regem devictum,
„fore vasallum triumphatorum
„ac fide fratrem addictum!“

Laudant Hispani strenuitatem.
Agnito vix Almansore,
dux amplexatur, omnes certatim
socium ambiunt ore.

Cunctos Almansor redamplexatur,
in primis imperatoris
collum prehendit, deosculatur
manus et labia oris.

Protinus ruit robore cassus,
digito vero tremente
cingulo ducem implicat lassus
trahitque secum cadente.

Respicit circum, omnes percellit,
facies pallens livescit.
Atrox cachinnus ora divellit,
sanguine pupus rubescit.

„Cernite, giauri, livens rigesco:
„scitis, sim cuius legatus?
„Vos, vos fefelli: urbe reverto
„pestifer morte signatus.

„Tradidi malum vos osculatus
„horridum, exitiale:
„ite, spectate hos cruciatus —
„letum obibitis tale!“

Volvitur, boat, stringit lacertos —
perpeti velut amplexu
omnes Hispanos tabe refertos
intimo comprimat nexu.

Ridet cachinnans morte collisus,
palpebrae, labra patescunt:
rigent in ore Stygii risus,
frigidis malis haerescunt.

Pavent Hispani, linquunt Granatam —
sequitur pestis cedentes,
sternit cohortes vix expugnatam
ad Alpuharram tabentes.

AENIGMATA

1. Anagramma.

Cum legis ut scribis, tunc accipies aliter mox
Prodigium. Vertas, pronomen lege tum.

ὃ	ε	χ	ό	ς,
δ	φ	ο	λ'	ρ
ἰ	χ	ὼ	ώ	ς
ο	ε	π	ή	λ
δ	δ	ι	ς	δ
μ'	σ	ἰ	ό	σ

2. Saltibus, ut in scacchiorum ludo usu venit, adhibitis, collige proverbium graecum (trimetrum iambicum):

SIGISFREDUS WOŁEK,
cl. VII b, gymn. Catoviciani

3. Verte lingua Polona enuntiatum:

Mea, mater, sus est mala.

Pro aenigmatum solutione editor proponit praemia.

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA SCIENTIFICA, LEOPOLI, VIA ARMENIORUM 8
Editor: RICARDUS GANSZYNIEC, Leopoli, in Universitate Ioanneo-Casimirana
Moderatores: Bronislaus Ilkow et Ioannes Koltowski, Leopoli, in Universitate

Palaestra prodit semel in mense, exceptis Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem — Marzec — PKO Warszawa 154.894